UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

De Stella.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

Visual Library

Sin quia deliciæ, & Veneres, blandiq; lepores
Tecum habitent, patrij ſit tibi terra lares,
Ipſa domus, patrijq; lares ſit Cyprus, & una
Sit Veneri, atq; eadem ſit tibi Stella domus.

LACRIMAS AMORI, SVSPIRIA CUPIDINI DICATA.

d Ebentur Cereri ſegetes, debentur & horti
Lampſacidæ, flores candida Chlori tibi,
Mellaq; debentur flauæ Thymbræa Meliſſæ,
In ſortem ceſſit Pallâs oliua tuam.
Sunt Zephyri faciles auræ, blandiq; ſuſurri,
Sunt fontes munus caſta Diana tuum.
Munditiæ Charitum ſunt, oſcula nubilis Hebes,
Cypridis amplexus, gaudiaq; illa tori.
At lacrimas, queſtus, at ſuſpirantia uerba
Has amor aſſumit, illa Cupido ſibi.
Crudelis uel uterq; deus, ſed blandus uterq;,
Blandus uterq; quidem, ſed ſine mente deus.

DE STELLA.

s Tella mihi in tenebris fax ē ad gaudia noctis,
Hanc ſequor, hæc dux eſt, hæc mihi certa uia.
Stella die in medio nox eſt ad gaudia lucis,
Gaudia Stella die, gaudia noctis ea eſt.

DE VENERE & amore.

e Xhauſit pharetrā Veneris puer, at Venus ignes
Extinxit, Venus hinc inde & inermis amor
Exhauſtam